



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Natales Sanctorvm Belgii, & eorundem Chronica Recapitulatio

Molanus, Johannes

Dvaci, 1616

Septima die Iunij.

urn:nbn:de:hbz:466:1-9477

3^o. *Appēdix de hæresi Vuilhelmi Cornelij.**Ex libro secundo apum, capite quadragesimo septimo.*

CÆterum, quia mentio facta est hæresis per beatum Norbertum Antuerpiæ extinctæ addam ex Thoma Cantipratensi eius tempore in dicta maritima vrbe Guilhelmu[m] Cornelij vixisse, qui dicebat, sicut rubiginem igne, sic omne peccatum paupertate consumi, ideoque præbendæ beneficium sub prætextu paupertatis perfectæ dimisit. Qui in ecclesia beatæ Virginis cum honore est sepultus, sed post quatuor annos cognita & probata malitia, per Nicolaum Cameracensem episcopum, quasi stirps inutilis, eiectus est & combustus. Obijt autem is Nicolaus de Fontanis, anno millesimo ducentesimo septuagesimo quinto.

Septima die Iunij.

*De sancto Valentino episcopo Tungrensi,
& de sancto Candido episcopo.**Ex Chronicis Leodiensium, & informatione Traiectensium.*

IN loco ad Mosam, qui Traiectus dicitur, natalis sanctorum VALENTINI & CANDIDI episcoporum. Quorum prior proximus fuit prædecessor sanctissimi Seruatij. Posterior verò causa orationis illuc venit ad sepulturam Seruatij, & ibidem permansit reliquo tempore vitæ suæ, vacantis episcopatus officium supplens. Reliquiæ vtriusque in summo altari asseruantur, & natales cum translatione sancti Seruatij concurrunt: Treuiris tamen Valentinum celebrant ad diem decimum sextum Iulij.

Octava